✠


VERITAS
A CALUMNIJS VINDICATA,
SIVE
APOLOGIA PRO OTIO COMPLUTENSI
contra calumniam Gregorij Majanſij.

VERITAS
A CALUMNIJS VINDICATA
SIVE
APOLOGIA PRO OTIO COMPLUTENSI
contra calumniam Gregorij Majansij.

AUTHORE

DOCT. D. IOACHIM IOSEPH VAZQUEZ ET MORALES, J. C. Matritensi, Divi Iacobi stemate insignito: in Maiori Ildephonsiano Lycæo Academia Complutensi iam Hospite, & in eadem Universitate Decretalium Cathedræ Moderatore.

AD EXCELLENTIS.MUM DOM. D. IOSEPHUM Patiño, &c.





SUPERIORUM PERMISSU.
COMPLUTI. Anno Domini M.DCC.XXXIV.



EXC.^MO DOMINO
D. IOSEPHO PATIÑO,

PERILUSTRI COMMENDATARIO de Alcuesca, Ordinis Divi Iacobi. Aurei Velleris Equiti dignissimo. Olim animo generali pro rebus maritimis Intendenti, in supremoque Ordinum Senatu togato doctissimo, atque meritissimo. Nunc verò in Regij Patrimonij Consilio inclito Præsidi, vniversalissimo Superinspectori. In, & pro Indiarum, Maris, Béllicis, Statûs, Regulariumque divitiarum rebus, à Maiestatis Catholicæ secretis assumpto, ex millibus electo.

NOSTI Iam pridem, Domine Excellentissime, vel in minimis, quæ solùm potui, quanta sit mea erga te religio, quan-

quanta tuorum apud me merito-
rum gratitudo , quanta voluntas,
& affectio. Nunc autem , aut ex ſo-
lo Opuſculi argumento , quod mag-
no tuo nomini inſcriptum aſpicis,
apertiſsimè dignoſces , non libera
tibi humani arbitrij electione , ſed
naturali debito ſacrum. Cùm et-
enim ſub auſpicijs Sereniſsimi Fer-
dinandi Principis noſtri nuper editi
Otij mei *Complutenſis* exemplar du-
dùm tibi detuliſſem , innataque be-
nignitate tua , & in me benevolen-
tia , nedùm excipere dignatus fuiſſes,
ſed & poſt aliquorum , inter tantarum
rerum curas , meditatam lectionem,
coram multis vtrâque manu proba-
re ; ſtatimque invidia immanis alienæ
gloriæ hoſtis , fœdiſsima , turpique
immodeſti animi impugnatione, meam
obſ-

obſcurare, tentaverit; atque ego naturæ Iuris præceptum inſecutus, de quo Florentinus *in leg. 3. ff. de Iuſtitia, & Iure*, iniuriam propulſare ſtatuerim, doctiſque Iuriſprudentiæ noſtræ viris nefariam ab adverſario calumniam manifeſtare. Quem, niſi Te, in hoc diſcrimine ante omnes primum Iudicem appellare poſſem, cuius inter reliqua ſuis fama præconijs, & militaribus, & ſecretis, & politicis, & civilibus apprimè imbutum diſciplinis, dilaudat, atque commendat? Suſcipe ergo, Excellentiſsime Domine, ſub opiferâ tuâ, atque ampliſsimâ protectione Vindicationem meam, & vt tantæ altitudinis digna appareat, & gratior fiat, propria magnitudine extolle. Teque Deus bono, atque ſaluti Reipublicæ ſervet: *æternaque laude florentem virtutis tuæ gloriam*, (*)

(*) Plin. lib. 10. Epiſt. Ep. ad Trajan. 89.


&

& incolumis, & fortis alijs ſuper alia operibus augeas. Ex noſtro Muſeo Complutenſi. Pridie Kalendas Novembris. Anno Domini M.D.CC.XXXIV.

Celſitudini tuæ perpetuè
ex obſerv. addict. Cliens,

Doct. D. Ioachim Ioſeph Vazquez & Morales.

VERI-



VERITAS A CALUMNIJS VINDICATA, SIVE

APOLOGIA PRO OTIO COMPLUTENSI, contra calumniam Gregorij Majansij.

ADHUC non benè vulgáto *Otio* meo *Complutensi* (Sapientissimi, & venerandi Jurisprudentiæ nostræ Magistri) venit in manus meas Gregorij Majansij novissimi Scriptóris libellus, qui paucis pagellis (vti Auctor moris habet) imbutus est, in me jactis, turpissimis dicterijs, & calumnijs. Cùm autem illius furóri non aliam viderem, vel minimam præstitisse causam, nisi quia aliqua eius *in lib.* quodam *Disputat.* opinamenta minus secûra, minus juris ratióni cónsona, quòd de verbis magis, quàm de re curáret, syncéro studio correxissem; omnia legi seréno, pérlegique ánimo libentissimo; instar oprobrij mihi futurum fuisse cognoscens, sanum de me judicium cepisse adeò acris styli hominem, qui de primis, & clarioribus Legalis scientiæ nostræ Astris tam pravè sentit, vt jam videritis *in libris suarum Epist.lib.*5.*epist.*5. vbi, quam Majansianam inseruit Bibliothecam, meliùs ego inscriberem severissimam crisim super omnibus,

bus, quæ ipsi sunt Doctissimorum virorum scriptis; cùm nullum penè referat cujuscumque classis, aut dignitatis, cui notam aliquam gravem de operibus non inurat. Ad quod, (vt ita loquar) temerarium assumptum; cùm non nisi post seriam, iteratamque omnium scriptorum meditationem sine reprehensione impleri valeat; longævi, doctissimi, atque eruditissimi hominis vita non sufficeret. Considerate nunc, quàm fixum, immotumque memoria teneat Majansius gravissimum illud Quintiliani præceptum *Inst. Orat. lib.* 10. *cap.* 1. de reverentia, qua viros magnos prosequi debemus, quod refert *impugnationis suæ, num.* 14. & quàm meritò ibidem in me invehatur his verbis: *Quod si præ oculis habuisset Joachimus Josephus Vazquez & Morales J. C. Matritensis in eo libro; quem inscripsit* Otium Complutense, *& his proximis diebus evulgavit; modestiæ metas non ita facilè excessisset, nulla maximorum Jurisconsultorum reverentia, nulloque honore viventium, ac si essemus om-*
nes muta signa. Inspicia-
tur attentè Commentarius
meus, & Opus pro me lo-
quatur, judicentque om-
nes, an non debito hono-
re, summaque reverentia
prosequar omnes, vel ad-
hùc levioris notæ Aucto-
res. Cujacium (justissimè
quidem) appellavi *superio-
ris ævi Papinianum, lib.* 2.
cap. 4. *num.* 13. & similiter
semper merita laude. De
Illustrissimo Ramos sic sen-
si, cùm eum nominavi *dict.
lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 50. *Clarissi-
mum, consultissimumque vi-
rum, Romanæ Historiæ peri-
tissimum.* De doctissimo
viro D. Joanne de Puga ita
lib. 1. *cap.* 1. *num.* 9. *Pri-
marius quondàm, & perdo-
ctus certè Salmantinus.* Ita
de Domino Retes *lib.* 1.
cap. 2. *num.* 35. *vt ad rem
eruditè docet Dominus Re-
tes.* Et *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 29.
*vt rectè advertit Dominus
Retes, &c.* Et similiter ibi-
dem num. 31. Sicque de
omnibus; ne patientia vel-
tra prolixâ narratione abu-
tar. Et tandem de ipso Ma-
jansio, sic (modestiæ cau-
sa) sum eloquutus *lib.* 2.
cap. 4. *num.* 73. *boni alioquin
nominis Jurisperitus.* Hoc
est despicere Ramos, Re-
se-

tesios, Pugas, & pro nihili homunculis habere, nulloque honore viventes tractare? Decrevi igitur modestè (vt mei moris est) injustam mihi notam abstergere; *si enim vellem pro maledictis maledicta rependere quid aliud, quàm duo maledici essemus?* Ut Sanctissimus Episcopus Augustinus in simili *lib.* 3. *cap.* 1. *contra Petilianum* scribebat.

2 His sic præhabitis, ad rem jam venientibus, omissisque varijs, quæ in initio disputationis suæ cumulat Majansius, de legato, quod incertum esse dicit, quia testatoris persona incerta sit, vel res legata, vel tandem persona, cui legetur; in quibus omnibus varia mihi suspecta permiscet, & quæ, si propositi esset, exactiùs examinarem; ne, quæ dubia propriè sunt, aut omninò diversa ab ijs, quæ incerta dicimus ratione incertitudinis consilij testantis (*incerti* dixisset Majansius perfectæ latinitatis Auctor; incertitudinem tamen personæ, & judicij dixerunt Vinnius *in nostro* §. *Incertis, versic. Quam incerta opinione.* Et *in* §.27. *versic.* 1. Pichardus *in principio nostri* §. Harpprechtus *ibidem n.* 1. & 7. Puga *in Commentario ad eundem n.* 8. 15. & 16. & omnes ferè, quos præ manibus habui) cum his, quæ inspectionis nostræ sunt, & in Otio nostro pro viribus promisimus explicare, inconsultè confundantur, de quorum notabili differentia exactè disquisitum ibidem *lib.* 1. *cap.*4. *præcipuè n.*23. Jam nobis apertè bellum indicit Majansius *disputationis suæ num.*14. vbi *n.*15. incertam personam esse dicit, quam incerta opinione animo suo testator subjicit, juxta Justinianum *in nostro* §. *Incertis* 25. *Instit. de Legat.* sub cujus regulæ norma *num.* 19. incertis personis, neque legata, neque fideicommissa olim relinqui concessum docet; *quoniam certum consilium debet esse testantis* juxta Ulpianum *in fragmentis tit.* 22. *Qui heredes institui possunt*, §. *Incerta* 4. vbi iterùm inculcat: *Est enim incerta persona, vt Justinianus nos docuit, quam incerta opinione animo suo testator subjicit.* Et tamen *num.* 21. horum oblitus, quæ imme-

diatè docuerat, in hæc verba proſequitur: *Incertum illud, quod ſemper incertum manet* (attendite, quæſo, incertum intelligere Manſium, ſi diſputationis filum non dirumpit, quod incertum eſt penes animum, & opinionem teſtatoris) *& antea vitiabat legatum, & nunc etiam vitiat, quia neſcitur cui legatur. Comprobat hoc Ulpianus, qui Vaſquio ita negotium fecit in leg. Si fuerit* 10. *de Reb. dub. vt lib.* 1. *cap.* 4. *confeſſus fuerit circa huius legis difficilem ſententiam nondum interpretes conveniſſe, &c.* Videte quomodo ſpeciem dubij legati, quia de voluntate teſtantis ſtatim, & loquendo non conſtat; quamvis penes mentem teſtatoris certiſsimum illud ſit, qualis eſt ea, quæ proponitur ab Ulpiano *in dict. leg.* 10. implicat impugnator cũ legato propriè incerto, quia incertũ ſit penes animum, & opinionem teſtatoris, de quo noſter ſermo.

3 Sed ad graviorẽ ipſius errorẽ tranſeamus, qui textus ſententiæ *in dict. leg.* 10. futili interpretatione necdum adverſatur, ſed & literæ: verba faciat ipſe Ulpianus: *Si fuerit legatum relictum ex cognatis meis, qui primus Capitolium aſcenderit: ſi ſimul duo veniſſe dicantur, nec apparet quis prior venerit, an impeditur legatum? Vel ei, qui monumentum fecerit, & plures fecerint: vel ei, qui maximus natu eſt, & duo pares ætate ſint: ſed etſi legatum Sempronio amico fuerit relictum, & duo ſint æqua charitate conjuncti. Sed etſi duobus hominibus eiuſdem nominis fuerit legatum, puta Sempronijs; mox Sempronio ademptum ſit, nec appareat cui ademptum ſit? Utrum datio in vtriuſque perſona infringitur, an ademptio nulla eſt quæri poteſt. Item, ſi ex pluribus ſervis eiuſdem nominis, vni, vel quibuſdam libertas relicta eſt? Et verius eſt in his omnibus etiam legata, & libertates impediri: ademptionem autem in vtrumque valere.* Inquit impugnator, poſtrema Ulpiani verba ſic interpungenda: *Ademptionem autem in vtrumque, valere.* Vel ſaltem ante illud verbum *valere* ſuſtineri debere ſpiritum: *Ut Ulpiani ſenſus ſit hic. Si vt proponitur duobus Sempronijs rectè ſit legatum: tunc demùm vtilis*

eſt

est ademptio ; si in vtrumque Sempronium sit concepta: non S in vnum. Sanè dissertissimi Consulti honori parum prospicit, cui ea mens haud vnquam esse poterat, nisi insaniret. Post varia exempla dubiæ inexplicabilitèr dationis legati, vnicum proponit Ulpianus dubiæ ademptionis, & quid in eo iuris sit quærit his verbis: *Sed etsi duobus hominibus eiusdem nominis fuerit legatum, puta Sempronijs; mox Sempronio ademptum sit, nec appareat cui ademptum sit?.. An ademptio nulla est, quæri potest.* Et per finalia verba respondet: *Ademptionem autem in vtrumque valere.* Cùm ergo ademptionis casus ab Ulpiano exagitatus, in his terminis vertatur, quòd Sempronio simpliciter ademptum sit, nec appareat cui ademptum sit? à diversis omninò, & distantibus decideret, si ademptionem in vtrumque Sempronium factam valere in disputatione judicaret; proposita enim ab eo species, non illa erat, sed ademptionis Sempronio simpliciter factæ; quapropter, cui ademptum esset, non apparebat. Quo circa Consultissimns Jurisinterpres in omnibus à se quæsitis dubiæ inexplicabiliter ademptionis casibus non ita respondit, *in his omnibus dationem in vtrumque valere.* (Quod secundum impugnatoris mentem erat sufficiens, vt sciretur in vnum confusè prolatum, inter duos eiusdem nominis non esse validam dationem) sed *in his omnibus etiam legata, & libertates impediri*: vt cordatè, & dissertissimè ad propositum loqueretur.

4 Post hæc jam non mirum, gravissimam textûs nostri difficultatem, & Ulpiani inter se pugnantiam *in leg. 3. §. 7. ff. de Adimendis legat.* Majansium non agnovisse, quæ non solùm maximum mihi negotium fecit, sed doctissimis Jurisperitis; quare *acriter obsistere difficilem hunc textum. Ulpianum apertè sibi repugnare*, dixit post alios dissertissimus vir D. Josephus de la Serna *in Academicis de Adimendis legatis cap. 1. num. 11.* & aliter respondere conati sunt Bartholus, & Acursius *in dict. leg. 10.* aliter Gofredus in ea *à n. 6. vsque ad 25.* aliter

Do-

Donellus, qui sine emmendatione clarissimam antinomiam dissolvi non posse, existimavit: aliter Chesius *de Differentijs lib. 4. cap. 1. num.7.* aliter ipse Serna *vbi proximè num. 15.* aliter denique, & verissimè Cujacius *in leg. Legato 37. §. Si de certo fundo, ff. de Legat. 1.* cuius elegantem, & subtilem interpretationem secutus sum *in Otio meo lib. 1. cap. 4. num 9* eam pro viribus ab his, quæ hucusque detinuerunt, extricare conatus *à num. 10.* Illud tamen notandum, quod ibidem impugnator tradit; mysterium non esse in eo, quod separatim duobus Titijs expresse proponatur legatum *in dict. leg. 3. §. 7. ff. de Adim. legat.* in nostra verò *leg. 10.* modum legandi Consultus sileat (cùm tamen in eo vis tota solutionis consistat) ait enim nihil interesse, conjunctim, an separatim legetur, dummodò sciri posit, quos destinaverit testator; *quæ causa est* (inquit) *ob quam id Ulpianus non distinxerit in dict. leg. Si fuerit 10. de Reb. dub.* Sed non consideravit, hìc opus, hìc esse laborem; id est, in hoc verti difficultatem, quod cùm aliter sciri non posit, quos in ademptione destinaverit testator in casu *nostræ leg. 10.* id necessum est elici ex conjecturis; quia nempe velle videatur, quos in dando non separaverat, in adimendo etiam conjungere. Quæ omnia latissimè manent explicata *in Otio meo d. lib. 1. c. 4. à n. 9. cũ plurimis.*

5 Transit jam impugnator ad numerum 27. suæ disputationis; &, cùm incertis ex certis personis legari semper potuisse supposuerit; prosequitur ita: *Quod si quis poterat legare incertis ex numero certorum, qui post testamenti factum certi fierent; quantò æquius erat, vt legare posset ijs, qui tempore scribendi testamenti incerti forent, etiam si non ex numero certorum, dummodo tempore faciendi testamenti omninò certi essent? Itaque si quis ita scripserit:* ILLIS, QUI TESTAMENTUM MEUM SIGNAVERINT HERES MEUS DECEM DATO. *Trebatius vtile legatum esse putat: quod Pomponius verius esse existimat, quia ipsum testamentum confirmat*

matur testibus adhibitis, quod verum esse existimat Marcianus, leg. Si quis 14. de Reb. dub. Deinde progreditur: *Hæc eruditissimorum virorum interpretatio multò certior, & expeditior est, quam ea, quam Vasquius lib. 1. cap. 2. num. 4. commentus est, quæque in casibus difficultatem aliquam præferentibus, ab imperitis interpretibus, invitis Iurisconsultis, appingi solet, cum horum sententiam assequi non possunt.* Notate, antequàm hinc abeamus, me loco ab impugnatore citato *num.* 3. referre, & probare quam ipse exponit, tacito nomine, Vinnij solutionem, ex Donelli, & aliorum mente desumptam; & deinde *num.* 4. ita incipere: *His tamen, & alijs omissis, si cogitandi licentia est, proprium liceat hac in re aperire judicium, quod illud est Marcianum Consultum* (videte scripsisse *Consultum* maiuscula litera) *in dict. leg. 14. non disputare de validitate, aut inutilitate legati propter personarum legatariorũ incertitudinem, sed hoc solum: an legatum sit inutile, quod testamenti signatoribus relinquitur?* (quæ sint rationes, quibus ad hanc interpretationem motus fuissem, videri possunt *à dict. num. vsque ad num. 7. inclusivè.*) Est ne hoc Jurisconsultorum sententiam assequi non posse? Certè si tale quid esset, communi, & jam probatæ acquiescerem Vinnij solutioni. Sanè casus hic non mihi præstulit talem difficultatem, cui post antiquam, & vulgarem, non adaptaverim novam solutionem. Eat nunc Majansius: *Affirmat Vasquius Marcianum Consultum in dict. leg. 14. non disputare de validitate, aut inutilitate legati propter personarum legatariorum incertitudinem.....sed hoc solùm, an legatum sit inutile, quod testamenti signatoribus relinquitur.* Et iterùm affirmo ex rationibus ibi illustratis; sed cùm Vinnij solutionem, nec improbaverim, sed verosimilem esse dixerim, per me licet, sequatur, proberque eam Majansius, vel quilibet.

6 Ampliùs propter superiora verba in me invehitur, & prædicat Majansius. Ipsum audite: *Multa peccavit Vasquius paucis ver-*

verbis. Primò dicere videtur, Marcianum consultum fuisse: quod non ita facile dixisset, si animadvertisset Marciani fragmentum excerptum fuisse ex lib. 6. Institutionum; non verò Responsorum, quæ planè non scripsit. Deinde ait, Marcianum non id agere, vt disputet de legati valore ratione incerti personarũ; sed ratione signatorum, quibus in eodem testamento aliquid relictum est. Quid tum posteà? An quia propositum est Jurisconsulto de vna re agere; ideò alterius rei falsitatem ei licet supponere; præsertim in Institutionibus? Quantò rationi juris convenientius est hypotesim apponere omninò veram? Eiusmodi sunt novitates omnes, quas in fronte libri promissit novus hìc Aculeo. Quid est obsecro, viri Sapientissimi, quod per somnum sibi finxit Majansius, cùm hæc scriberet? Imprimis, vnde ille deduxit, me Marcianum intellexisse consultum fuisse de hac re? Nempe, quia Marcianum Consultum dixi majuscula litera, id est, Jurisconsultum, quem admodum illos primores juris interpretes vulgò appellare solemus; quorum fragmenta in ff. referuntur: vel quia ibidem *num. 6. in principio* speciem, non Marciano, sed à Marciano ipso propositam asserui expressè, & apertissimè in illis verbis: *Erat certè in specie à Marciano proposita &c.* Deinde qua vana sibi cavillatione est persuasum, judicasse me Consultum Marcianum libros Responsorum scripsisse? Nempe, quia eodem loco, cùm Consulti difficultatem proponerem, *n.* 1. dixi: *Primam suggerit Marcianus difficultatem (vt à levioribus incipiam) lib. 6. Institutionum in vulgari textu in leg. Si quis ita scripserit* 14. *ff. de Reb. dub.* Ulteriùs: ex quo somniavit, me falsitatem aliquam supponere decisioni Consulti? Imo veritatem eius anxiè quæsivis; cùm postquam fassus fuerim, in prima, & communi interpretatione, sententiam Consulti posse verificari; alio, & quidem veriori mihi modo, Marciani decisionem intelligi posse, dixerim: & si alicui in his falsitatem supponerem, certè non esset Jurisconsulto, sed eius interpretibus, qui

illius

illius decisionem mente non bene percepissent. Quis enim vnquam, nisi insanus dixit, ex improbatis Auctorum ad l. l. quæsitis solutionibus, improbari mentem, aut sententiam Consultorum; sed eorum tantum, qui eas non capiunt, opinionem, aut judicium? Denique, cur scripsit, me videre non potuisse, aliud esse scribere testamentum; aliud facere: *Adeoque personam scribendi tempore incertam, fieri posse certam per rogationem, subscriptionem, signationem.* quod ex tironibus hucusque haud vllus ignoravit, & *ibidem num.* 3. cùm de Vinnij solutione agerem, latè, & clarissimè explicatum reliqui? Accipiat ergo impugnator à calumnijs vindicatam novitatem vnam ex his, quas in fronte libri promisi.

7 Gradum facit impugnator ad n. 30. disputationis, vbi solùm ad implendam paginam aliqua refert ex his, quæ latè nos examinata dedimus *in Otio nostro lib.* 1. *cap.* 3. sed tamen, vt nulla evadat linea sine errore, vt vulgo jactari solet: *Nullus dies sine linea* non alia putat de causa, Pauli responsum *in leg. Paulus* 4. *ff. de Reb. dub.* à Pandectis Florentinis abesse, *nisi quòd sequens etiam lex eodem modo inciperet: in cuiusmodi casibus* (inquit) *facillimum est ab vna lege ad aliam transire, vt transcribentibus crebrò evenit.* Respicite quanta facilitate omnia, quæ insurgere possunt ex libris nostris dubia, subtilissimus releget Scriptor: non ita facilè credere ausus est magnus Cujacius *in Recitatione ad textus in leg. Paulus respondit* (*la segunda*) *& leg. Quidam relegatus, ff. eod. tit.* qui abesse solùm à Florentinis confitetur, tacita causa, qua id acciderit; fortè, quia majorem honorem emmendatissimo Florentino Codici, fidemque adhibuit.

8 Pergit impugnator ad sequentem n. 31. & post certissima principia à nobis latè illustrata *lib.* 2. *cap.* 5. in hæc verba prosequitur. *Tutor autem, nec post Justiniani Constitutionem incertus dari debet; quia certo judicio debet quis pro tutela suæ posteritati cavere, Justinianus §. Sed nec huiusmodi*

27. *instit. de Legat. Quasi dicat, quia permitti potest, vt quis incerto judicio bona sua prodigat; sed non, vt incerto judicio pupillo noceat, cùm nihil magis distet à tutela, qua pupillus indiget.* Videte qualiter dissertissimi Imperatoris nostri honori provideat, & qualiter sentiat de Sapientissimi Viri judicio, qui opinatus est, Justinianum nova sua Constitutione permittere posse, vt quis incerto consilio, & non solido judicio bona sua prodigat, dilapidet, seu profundat; quasi ei ineptas testantium voluntates, & ab insana mente provenientes, protegere, proponi potuisset: sanè si tale quid in hoc casu Imperator noster sensisset, proculdubiò non novam, cordatissimamque emisisset Constitutionem, de qua *in leg. 1. & per totum Cod. hoc nostro tit.* Ut hæc caveantur, nec amplius turpissimo quidem errori aditus pateat; pro vera inter tutelas hìc, & reliquas dispositiones testamentarias differentia, quæ diversam omninò decisionem efflagitavit, videnda, quæ scripsimus *Otij nostri lib. 2. cap. 5. à n. 27.* Planè si hoc est, quod vocitat Majansius *n. 32.* me non potuisse intelligere, gaudeo: nolim enim hæc vnquam, nisi vt refutem, percipere.

9 Sed transeamus jam ad disputationem de Lege Fusia Caninia, quam instituit impugnator *n. 33.* Et varijs præmissis principijs, quæ latiùs à me accepit *lib. 2. cap. 2. à principio*, vt explicet notissimam Gaij auctoritatem, à me inter alias relatam *ibidem num. 2.* sic progreditur. *Cùm autem testator ex tribus servis solùm posset manumittere duos, ex decem, quinque, ex triginta decem, &c. Si ponamus habere plusquam tres, exempli gratia decem;* SI NON NOMINATIM SERVI, VEL ANCILLÆ IN TESTAMENTO MANUMITTANTUR; SED CONFUSE OMNES SERVOS, ET ANCILLAS IS, QUI TESTAMENTUM FECIT, LIBEROS FACERE VOLUERIT, NULLI PENITUS FIRMA ESSE JUBETUR HOC ORDINE DATA LIBERTAS; SED OMNES IN

IN SERVILI CONDITIONE, QUI HOC ORDINE MANUMISSI SUNT, PERMANEBUNT, *ſicuti diſſertiſsimis verbis docuit Gajus lib. 1. tit. 2. §. Nam ſi 3. Ratio eſt, quia* INCERTIS PERSONIS, NEQUE LEGATA, NEQUE FIDEICOMMISSA OLIM RELINQUI, CONCESSUM ERAT. NAM NE MILES QUIDEM INCERTÆ PERSONÆ POTERAT RELINQUERE ALIQUID, UT DIVUS ADRIANUS RESCRIPSIT, §. *Incertis 25. inſt. de Legat. Legatorum autem nomine certum eſt.* LIBERTATES CONTINERI *leg. verbis 120. de Verb. ſignific. juncta leg. in generali 80. eiuſd. tit.* Non hæc ita miremini, vt in quæ prosequitur *num. 35.* Sic incipit: *Vides ordinem, & connexionem Diſputationis meæ, in qua Juriſconſultos, & Juſtinianum deſcripſi ad literam.* Siſtite hìc gradum, & conſiderate ordinem, & connexionem diſputationis Majanſij, qui deſcripſit ad literam Gaij Juriſconſulti, & Juſtiniani, alio longè loquentis, diverſas omninò, & inconnexas auctoritates, vt ordinem, & connexionem Diſputationis ſuæ conclamaret. Audite autem nunc, quàm meritò indignationis ſuæ in me jacula contorqueat per ſequentia. *Et tamen Vaſquius cùm ſuperiora legiſſet, & vti moris habet, non intellexiſſet, lib. 2. cap. 2. n. 22.* APPELLO (*inquit*) CENSURAM ERUDITORUM, QUI JUDICENT, AN RECTE SECUM MEDITETUR MAJANSIUS *LIB. 1. DISPUTAT. 3. NUM. 4.* DUM EX EO SOLUM INFERT, OMNIBUS SERVIS PROPRIJS TESTATORIS INUTILEM FUISSE RELICTAM LIBERTATEM, QUIA INCERTIS PERSONIS, NEQUE LEGATA, NEQUE FIDEICOMMISSA, OLIM RELINQUI CONCESSUM ERAT, QUORUM ETIAM NOMINE (*inquit*) LIBERTATES COMPREHENDEBANTUR. *LEG. VERBIS LEGIS 120. DE VERBORUM SIGNIF. JUNCTA LEG. 8. ff. EOD. TIT.* UNDE QUILIBET DE-

DUCERE POSSET, OMNIBUS SERVIS TITIJ DATUM A TESTATORE LEGATUM INUTILE OLIM SIMILITER FUISSE TANQUAM IN INCERTAS PERSONAS COLLATUM. *Hic colligendi modus proprius est Vasquij, non cuiuslibet, vt ipse ait.* Certè in his vltimis verbis falsum in me testimonium dicit; ego enim, nec scripsi, nec præsumpsi, alium quemlibet clarissimam consequentiam ex manifesto errore æqualiter non potuisse deducere.

10 Appello iterùm, atque iterùm vestram censuram, amantissimi Jurisperiti, & Judices in mea causa vos constituo. Non ne omnibus servis proprijs relicta testamento libertas inutilis erat antiquo jure; quia hi servi personæ essent incertæ penes animum, & opinionem testatoris, de quibus solis Imperator loquitur *in nostro §. Incertis*, vt manifestè demonstrat *in versic. Incerta autem persona* in illis verbis: *Incerta autem persona videbatur, quam incerta opinione animo suo testator subjiciebat*? Hoc certè nullus dicet, nisi ei penitùs judicium destituat: igitur, qui sic inconcinnè, & ineptè arguit. *Incertis personis, neque legata, neque fideicommissa olim relinqui concessum erat, §. Incertis inst. de Legat. Ergo omnibus servis proprijs testatoris inutilis erit relicta libertas.* Cur non fortiori ratione ex eodem antecedenti hanc aliam consequentiam deduxisset: *Ergo omnibus servis Titij datum à testatore legatum, inutile olim similiter fuit, tanquam in incertas personas collatum*? Si etenim omnes servi proprij testatoris personæ erant incertæ penes eius animum, & opinionem, & ideò eis antiquo jure inutiliter legabatur: à fortiori, omnibus etiam servis Titij, tanquam incertis penes animum, & opinionem testatoris, inutile foret relictum legatum. Quid enim interest servis proprijs libertas, an alia quæcunque res alienis proponatur legata; si ratio improbandi legatum ex eo pendet, quod illi, quibus relinquitur, incerti sint penes animum, & opinionem testatoris, in cu-

cuius solius incertitudinis terminis argumentum meum loquebatur? Neque aliud erit in proposito, adhuc supposita dispositione Legis Fusiæ, Titium decem servos habentem, omnibus legare libertatem; & ipsum, aut alium omnibus legare centum; in nullo enim casu legatarij incerti sunt ea incertitudine, quæ versatur inter animum, & opinionem testatoris, id est, in nullo ex his casibus legatariorum personas animo suo testator subjicit, omninò cæca, & incerta opinione: quippè, quod Lex Fusia prohibeat ex decem servis plusquam quinque manumitti, &, omnibus manumissis, dubium maneat quinam sint illi quinque, qui præferri debeant, ideoque nullus liber sit, *leg.* 10. *in princip. versic. item si ex pluribus, leg.* 17. *ff. de Reb. dub. leg.* 31. *ff. de Manum. test. cum alijs*, hoc alio longè provenit, ex peculiari scilicet dispositione Legis Fusiæ, diversis omnino causis, & rationibus; quæ quidem in hoc casu inutilem ab initio facit libertatem; quia ita eam nominatim relinqui jubet, vt appareat apud nos (apud testatorem enim certissimi legatarij sunt) quis priori, quis posteriori loco scriptus sit; quare arbitrium non relinquitur, vt sorte, vel servorum meritis possit occurri incertitudini, vt latè scripsi *in Otio meo Complutensi lib. 2. cap. 2. præcipuè n.35.*

11 Unde clarissimè deducetis, quàm bene legerit Majansius commentarium meum, dum *dict. num.* 35. in hæc verba contra me prosequitur. *Neque in hoc casu sorti locus est, aut arbitrio Prætoris, quemadmodum evenit in dissimili casu leg. Generaliter* 24. §. *Quid ergo* 17. *de Fid. lib. Prætor enim non facit contra leges leg. Cùm sponsus* 12. §. *Si res* 4. *de Publ. in rem act. leg. Non est ambigendum* 12. §. *vbicumque* 1. *de Bonor. poss. Quæ si Vasquio in mentem venissent, turpem errorem non errasset lib. 2. cap. 2. in fine, vbi opinandi novitatem agnosco, sed apertè contrariam ijs, quæ docuit*

Gajus lib. 1. *tit.* 2. §. *Nam ſi* 3. Operæ pretium feciſſet impugnator, ſi, vti ſolet facere, ea retuliſſet quæ ibi ſcripſi, quo facilè eius in me calumniam cognoſceretis, vt pari caſu deſiderabat Divus Auguſtinus *contra Iulianum Apoſtat. lib.*3. *capit.* 1. in illis verbis: *Redde verba mea, & evaneſcet calumnia tua.* Sed quæ ipſe non fecit, ego, vel invitus efficere cogor in hunc finem. Dixi *numer.* 35. & affirmavi vt certiſsimum in hac materia principium, quod indicavi iam *ſuperiori num,* nempe, quòd (hæc ſunt verba mea) *quoties teſtator pluribus ſervis ſub nomine collectivo, vltimo elogio libertatem præſtat, numerum excedens leg. Caninia definitum, inutilis eſt ab initio ipſo Iure libertas, vtpotè contra legem data, quæ eo caſu ita nominatim relinqui libertatem jubet, vt appareat, quis priori, quiſque poſteriori loco ſcriptus ſit*; à quo ſtatim intuli conſequentiam: *ergo arbitrium non relinquitur vt ſorte vel ſervorum meritis poſſit occurri incertitudini.* Quæ quidem notiſsima ſunt, vt eleganter docet D. Ioannes de Puga *in Academicis ad noſtrum* §. *incertis* 25. *n.* 12.

12 His ſic ſuppoſitis, feci gradum ad num. 36. qui eſt vltimus dict. cap. 2. & in hæc verba continuavi. *Ex quibus omnibus denique vltra DD. etiam captum ad vltimam illationem infero; quòd ſi teſtator centum, vel quinquaginta ſervos habens, decem, vel viginti intra numerum à lege præfixum, vel directam, vel fideicomiſſam libertatem dederit ſub illa formula.* DECEM SERVI, QUI CAPITOLIUM ASCENDERINT, LIBERI SUNTO. *Vel,* EX CENTUM SERVIS MEIS, VIGINTI, QUI IN CAPITOLIUM ASCENDERINT, VOLO MANUMITTI. *Pluribus aſcendentibus, decem, vel viginti, quos primùm aſcendiſſe appareat, libertatem conſequentur; perindè, ac ſi,* QUI PRIMUM ASCENDERINT, *expreſiſſet*, cuius juris maniſeſtiſsimam ſtatim rationem aſsignavi verbis ſequentibus: *Et ex ipſiuſmet teſ-*

testatoris voluntate, quæ in simili conditione ad primos ascendentes refertur per numeri certi assignationem, & ex ei consono Canin. Leg. præcepto; absurdum enim esset posteriùs ascendentes melioris fore conditionis, quàm primi; cùm, & ex legis imperio, & ex aperto disponentis judicio decem tantum, vel viginti in ea hypothesi valeant libertatem accipere; primi autem decem, vel viginti ascendentes cæterorum actionem prorsus prævenerint, nec alteri implemento locum reliquerint, statim ipsis debita libertate, ex quo detegitur impleta conditio, tot. tit. ff. de Condit. instit. passim in tit. de Condit. & Dem. leg. 3. §. 1. leg. fin. ff. de Statuliber. cum innumeris alijs, vt sunt juris vulgo notissima principia. In his nullum credo vnquam controversiam admissurum. Deinceps continuò hanc aliam ita certam, ita juris rationi consentaneam illationem deduxi: *Sed si simul extra numerum plures conditionem adimpleant, vt quis prior, quisve posterior ascenderit, discerni non possit, non prorsus inutiles esse libertates; sed vel sorte rem dirimendam, vel arbitrio hæredis omnium meritorum apud ipsum allegatione in libertate fideicommissaria; in directa verò apud judicem (tunc quippè nihil fuit positum in facto hæredis) manifesto argumento textus in dict. leg. 24. §. 17. ff. de fideicom. libert.* Et sequentibus clausulis manifestissimam huius rei rationem declaravi. *Cùm enim his casibus rectè ab initio data libertas appareat intra legis numerum, & aliàs servi omnes, qui simul Capitolium ascenderint, æqualiter habeant supremam voluntatem defuncti; estò etenim, plusquam decem, vel viginti noluisset libertatem consequi; voluit tamen abs dubio, æqualitèr, & sine distinctione primùm viginti ascendentes ad libertatem pervenire, quod quidem hìc discerni non valet; iniquum esset, omnes absolutè libertate fraudari, & quo potest modo debet occurri incertitudini: ergo his positis terminis, pro modi dandi diversitate, servi vsque ad numerum*

à testatore constitutum, aut ex Iudicis sententia directam consequentur libertatem; aut sorte vel arbitrio hæredis fideicommissariam habebunt. Sic conclusi *in dict. cap.* 2. Ubi est autem, quæso, in his opinandi novitas apertè contraria ijs, quæ docuit Gajus *lib.* 1. *tit.* 2. §, 3.? Imò maximè conformat, & id suadet Iurisconsulti doctrina. Ubi dissimilitudo inter hunc, & casum propositum ab Ulpiano *in dict. leg. Generalitèr* 24. §. 17. *de Fideicom. libert.*? Imò maximum argumentum est, & apertissimum Ulpiani Consulti decisio. Quid, quod Prætor non possit contra leges facere, quando casus noster in terminis loquitur, quibus ab initio rectè data libertas appareat intra legis numerum? Sane opus viduo elaboratum optima fide agnosco, nec Majansio invideo.

13 Audite jam, quomodo impugnator in se arma convertat, & contra se arguat clarissimè *disputationis suæ dict. numer.* 35. Eant eius verba. *Sed vt redeam ad id, quod antea dicebam; ponat Vasquius incertum tam in libertatibus, quàm in legatis; & videamus, quomodo inter libertates, & legata diversa jura distinguat.* Hoc est ipsissimum argumentum, quo *superiori num.* 10. eius errorem patefeci, & pro quo appellavi vestram, eruditi, censuram: si etenim ponit impugnator in libertatibus omnibus servis proprijs testatoris relictis incertum ea incertitudine, quæ talis sit penes animum, & opinionem testatoris, & quæ ea de causa ad nostrum §. *Incertis* pertineat; quomodo voluit inter libertates, & legata diversa jura distinguere? Aut quam majorem incertitudinem invenit penes animum, & opinionem testatoris, respectu personarum legatariorum, in legato libertatis omnibus servis proprijs testatoris relictæ, & in cuiuslibet alterius rei alienis legatæ, vel proprijs? (si posset sine libertate relinqui) Sed jam aspernanda subtilitate amplius explicat propositionem

tionem clausulis sequentibus. *Ponat, inquam, Titij servis legatum, vbi plures sunt Titij, & nescitur de quo Titio Testator senserit, & proferat Vasquius aliquod juris testimonium, quo probet exitum habere huiusmodi incertum legatum. Certè nullum inveniet.* Quo tendit Majansius per hæc verba? Sanè, nisi judicium meum gravi penitus infirmitate laboraret, dicere ego non possem, dubium legatum ea dubietate, quæ ad certitudinem nequeat reduci, exitum habere, repugnante Ulpiano *in leg. 3. §. 7. ff. de Adimendis legat. & in leg. 10. ff. de Reb. dub.* Considerate quomodo dubij legati materiam, & inutilis omninò ex defectu probationis cum incerto penes animum, & opinionem testatoris iterùm, atque iterùm inconsultè impugnator confundat, & permisceat.

14 Ulterius copiam facit Majansius suæ doctrinæ, & ex his, quæ retuli, in hæc dilabitur: *Eat nunc Vasquius, prædicetque, vti facit lib. 2. cap. 2. num. 23.* (22. voluit dicere) *me particularem dispositionem Legis Fusiæ inconsultè permiscere cum generali Prudentum interpretatione inducta, totoque cœlo distanti regula de Incertis.* (Hoc an verum sit, vos videritis) *Quasi regula hæc naturali nixa ratione vbique locum non haberet, remanente incerto.* Certè antiquam regulam de Incertis personis (quidquid Consulti id existimarent) vera naturali nixam ratione, non facilè concedam; ne eius juris vsque ad superstitionem scrupulosi derogatorem Justinianum, dum primævam Decemviralis Legis dispositionem plenissimè renovavit, contra naturalem rationem, & æquitatem apertè affirmem, processisse; de quo latè habetis *in Otio meo, præcipuè lib. 2. cap. 5.* Sed, vt vt id verum esset, incunctanter faterer, regulam illam locum habere vbique, remanente incerto; sed non, quod incertum sit penes nos (quod dubium dicimus) sed penes animum, & opinionem testatoris, de quo solùm incerti genere, teste Justiniano, regula fuit loquuta: ergo,

nisi demens ; nullus hæc ex particulari dispositione Legis Fusiæ, vt legitima deducere poterat ; *ideò Militem subjectum Legi Fusiæ, nec nisi nominatim manumittere posse; nam ne Miles quidem incertæ personæ poterat relinquere, vt Divus Adrianus rescripsit, & refert Justinianus in nostro* §. *Incertis*. Planè, donec Majansius aliquid novum doceat, & proprio subtilissimo ingenio dignum, vrgere pergam argumentum meum, oppositum *in Otio Complutensi lib.2. cap. 2. num. 22. in fine*. Cur enim aliquando sensit, statutum Legis Caniniæ ad militum testamenta non pertinuisse, si eius legis ratio ab eo proveniebat, quod nihil incertis personis, nec à milite relictum valuisset, in quo haud vnquam admittere potuit controversiam; cùm cuilibet sit notum, & constet ex nostro §. 25?

15 *Sed quid verbis opus est* (prosequitur impugnator *dict. num.35.*) *Ipse Vasquius explicans vim verbi* NOMINATIM *in Lege Fusia Caninia hanc à me doctrinam sumpsit, si confiteri vult, aut surripuit, si diffitetur, cùm lib. 2. cap.2. n. 17. ita scripsit.* ILLUD SIQUIDEM DENOTAT *(particula* NOMINATIM) TESTATOREM PRÆFIXUM LEGE NUMERUM IN TESTAMENTARIA MANUMISSIONE EXCEDENTEM, SI MANUMISSIONIS ACTUM NOLIT ESSE OMNINO INUTILEM, ITA CLARE, ET DISTINCTE DEBERE VOLUNTATEM PROFERRE, UT CERTO APPAREAT, QUIS PRIOR, QUISQUE POSTERIOR LIBER ESSE JUSSUS SIT ; NE SI NULLUS CONSTET SCRIPTURÆ ORDO SERVATUS INVICEM SIBI OBSTANTIBUS SERVIS NEMO POSSIT AD LIBERTATEM PERVENIRE, UT PROBANT TEXTUS *in leg.24. ff. Qui & à quibus, leg. Qui solvendo 42. cum seq. leg. 60. leg. Si non lex 83. §. Temporibus 1. ff. de Heredib. inst. & docet Gajus in Institutionibus lib. 1. tit. 2. §.* 3.(Antequam hinc abeam, interrogo: si superior doctrina ijsdem ferè verbis à

à Doctissimo viro desumpta est D. Joanne de Puga, *in Academicis ad nostrum* §. 25. *num.* 11. quis fortè fur erit, impugnator, qui primus scripsit, & hoc, misso AA. nomine, sæpissimè facere solet. An ego?) *Sed vide collectionem ingenio Vasquij dignissimam.* EX QUO EST A CONTRARIO CANINIA LEGE DEFINITUM NUMERUM NON TRANSGRESSUM TESTATOREM, VALIDE, ET UTILITER LIBERTATEM RELINQUERE; ESTO QUIS PRIORI, QUISVE POSTERIORI LOCO SCRIPTUS SIT; NON APPAREAT; VELUTI SI, QUI CENTUM SERVOS HABERET, VIGINTI LIBERTATEM RELINQUERET, VEL DECEM, QUI QUINQUAGINTA, UT IN HAC FORMULA. *DECEM EX SERVIS MEIS, VEL EX SERVIS MEIS VIGINTI, QUI CAPITOLIUM ASCENDERINT, LIBERI SUNTO. Quibus exemplis non animadvertit Vasquius, se demonstrationem adjungere, quæ vicem nominis habet. Adeoque veris exemplis abutitur ad falsam doctrinam confirmandam.* O bone Deus, vsquequò lapsus Majansij? Doceant eum omnes Dialectici, an ex hoc antecedenti hæc sit legitima, & inevitabilis consequentia. Testator præfixum lege numerum in testamentaria manumissione excedens ideò ita clarè, & distinctè debet voluntatem proferre, vt certò appareat, quis prior, quisque posterior liber esse jussus sit; ne, si nullus constet scripturæ ordo servatus, invicem sibi obstantibus servis, vtpotè vltra numerum manumissis, nemo possit ad libertatem pervenire: ergo à contrario: si Caninia Lege definitum numerum non sit transgressus testator, validè, & vtiliter libertatem relinquet; estò quis priori, quisve posteriori loco scriptus sit, non appareat; vtpote deficiente causa, qua id Lege Caninia est statutum. Neque cognovit inconsideratus impugnator, in exemplis à me propositis conditionem illam, *qui Capito-*

lium aſcenderint, ad hoc ſolùm poſſe deſervire, vt verificetur legatum in perſonis aſcendentium; idque circò demonſtrationem dici; non verò, vt ſciatur, quis priori, quiſque poſteriori loco ex ſervis ea conditione libertate donatis in ordine ſcriptus ſit: cùm enim poſsint plures decem, vel viginti ſimul, eodemque tempore in Capitolium aſcendere; tunc, niſi æquiſsima regula, jam à nobis ſuperiùs indicata, & explicita latè *in Otio Complutenſi lib. 2. cap. 2.* obſervetur; ſub incerto erit, quinam in teſtamentaria libertate præferendi ſint. Ex his, in quibus manifeſtè videtis impugnatorem convictum; cùm ipſe, ingenio licèt magno, meridiana luce clariora crederet; ſic in me dilabitur *in fine dicti num. 35. Sed res infiniti laboris eſſet ſingulas Vaſquij contradictiones perſequi: nam cum aliena ſcripta, præſertim manu exarata paſsim compilet, parùm ſolicitus eſt, an illa inter ſe cohæreant. Unde oritur, vt ex vno errore in quamplurimos alios incidat. Mihi propoſitum non eſt enumerare ſingulos. Unum tamen ſilentio prætermittere nequeo, vt temeritatem ſuam agnoſcat in reprehendendis ijs, quæ non intelligit.* Iſtuc eſt ſapere!

16 Examinemus nunc, qualis, quantuſque ſit hic error meus, vt maneant penitùs eluſa omnia, quæ in me profert impugnator *vſque ad 41. ex num. 36.* Dixi *in Otio Complutenſi lib. 2. cap. 1. num. 1.* Legem Fuſiam Caniniam in militum teſtamentis locum non habuiſſe, & dixi ex ſententia Cujacij *lib. 14. Reſponſ. Papiniani in expreſſo ad rem textu in leg. 51. ff. de Manum. teſtam.* Olani *lib. 2. Paralipomenon capit. 10.* & Ibañez Conchenſis Muſei alumni meritiſſimi *in Academico tractatu ad leg. Fuſiam Can. cap. 3. à num. 7.* (quorum mihi rationes planè irrefragabiles ſunt, & quilibet ibi latè poterit perpendere) *ſicuti, nec Falcidiam Legem, neque Pegaſianum S. C. habuiſſe videmus leg. ſi certarum 17. §. fin. leg. Si à milite 29. ff. de Teſ-*

Testam. milit. cum reliquis ibi citatis, *aliaque id genus plurima*; & adjeci *quidquid novissimus contendat scriptor Gregorius Majansius Disput. jur. lib. 1. disp. 3. num. 14. deceptus auctoritate textus in dict. leg. Si à Milite 29. §. 1. vbi ex hac generali Marceli sententia* MILES TESTAMENTO SUO MANUMITTENDO NIHIL EFFICIT IN EO, CUIUS LIBERTAS LEGE ÆLIA SENTIA, VEL ALIQUA IMPEDITUR: *perperam infert, aliquam hanc legem non aliam esse posse, nisi Caniniam; quando prædicta Consulti verba non vno in casu rectissimè explicari queunt, semota constitutione Legis Fusiæ*, & varia huiusmodi exempla retuli; *quid enim* (dixi) *si servum in perpetua vincula damnatum miles manumittat, qui, lege impediente, non potest ad libertatem pervenire, expressus textus in leg.* 1. Cod. *Qui non poss. ad libert. perv.* (de cuius Rescripti Auctore, quidquid Critici certent, neque Claudio, Severo, & Antonino centum annis priori, sed ex auctoritate Papiniani *in dict. leg. Fratres* 33. *de Pœnis* Divis Fratribus Imperatoribus vulgò tribuant, teste Gothofredo *in dict. leg.* 1. *num.* 43. cùm tamen vel horum ævo certum sit, Marcelum vixisse; inverosimile non erit credere, de eo etiam fuisse Marcelum loquutum *in dict. leg. Si à milite* 29. §. 1. neque necessum erit probare, UlpiumMarcelum post Divorum Fratrum Rescriptum decimum scripsisse librum, ff. ex quo dicta lex 29. desumpta; imo, qui impugnat, probare debebit decimum librum ff. Marceli Divorum Fratrum Rescriptum præcessisse) prosecutus deinde: *Sicuti nec ad temporaria damnati intra pœnæ tempus libertatem consequuntur leg. Fratres* 33. *ff. de Pœnis: quemadmodum, nec ante quæstionis tempus; leg.* 12. *ff. Qui, & à quib. nec ante decennium Plagiarius, pro quo dominus pœnam intulit, leg.* 12. *ff. de Manumissionib. cum similib.? Quid si cum tes-*

tamento nominaverit, qui ea lege ei venditus NE MANUMITTATUR, *vel vltimo elogio à testatore pœnæ causa probibitus manumitti, leg. Ille servus 9. §. 2. ff. Qui, & à quib. juncta leg. 2. Cod. Qui non poss. ad libert. perv. & Cujacio in Comm. ad eund. tit? Quid denique (ne certa nos detineant) si illi mulieri contra Constitutionem Divi Adriani testamento adscribat libertatem, in qua turpis cadere potest suspicio, quæ, cùm nibil, vel ex testamento militis capiat, leg. Miles* 41. §. 1. *ff. hoc tit. leg. Mulierem* 14. *ff. de His, quæ vt indig. à fortiori nec libertatem rebus alijs omnibus stimabiliorem poterit accipere? Planè similibus casibus libertatem impediente lege, miles manumittendo nibil efficiet; non verò vnquam omnes servos proprios liberando aliunde jure non impeditus, notus textus in dict. leg.* 51. *qui sinistram aliter interpretationem accipiet; ab hac enim lege miles exolutus, vt à reliquis, quæ in id solùm inventæ, vt absolutam testantium facultatem restringerent.*

17 Quicunque hæc omnia à me scripta non malignanti animo legerit; manifestè cognoscet, me id solùm significare voluisse, generalem scilicet Marceli propositionem, *cuius libertas Lege Æliæ Sentia, vel aliqua impeditur*: seu, vt Muretus legit, *alia, qua* intelligi quam optimè posse in terminis veræ, & propriæ legis, sive latè, & impropriè sumptæ; neque enim, ni prorsus insanus essem, veram legem credere poteram conditionem venditioni appositam; *ne manumittatur*; aut præceptum testatoris, quo pœnæ causa servus in testamento prohibitus est manumitti, quocunque modo *legis* nomen in Pandectis meis, non Antuerpianis (queis nunquam vsus) sed Lipsiensibus exaratum invenirem: quando certissimam inter vtramque differentiam assignavi, & quo sensu posteriores hæ leges dicantur *in Otio meo lib. 2. cap. 5. num. 26.* latè explicui. Neque magis rescripta Principum leges appellare poteram eo

eo sensu, quo lex intelligitur *in* §. *Lex* 4. *inst. de Jur. nat. gent. & civili*; sed Marcelum, qui dixit; quacunque lege libertas impediatur, miles manumittendo nihil efficiet; sic generaliter accepi, vt Cervidius Scævola *lib.* 18. *Quæstionum in leg.* 83. *ff. de Heredib. inst.* est loquutus, ibi: *Si non Lex Ælia Sentia, sed alia Lex, vel S. C. aut etiam Constitutio servi libertatem impediat: is necessarius fieri non potest, &c.* Propter hanc ipsam rationem, invito licèt Majansio, legis nomine latè sumpto, Marcelus intelligere potuit Adriani Imperatoris rescriptum allegatum à Triphonino *in leg. Miles* 41. §. *Mulier* 1. *ff. de Test. milit.* quò pertinet *lex Mulierem* 14. *ff. de His, quæ vt indig.* quarum vtraque lex ad manumissiones necessariò pertinet, atque ad jus instituendi, legandive mulieri à milite per strurum cognitæ, aut in quam turpis cadere potest suspicio; & quia ita expostulat honestatis ratio; & quia ita expresse asserunt in vtraque auctoritate Consulti; dum mulierem hanc nihil ex militis testamento capere posse, generaliter scribunt. Sed quamvis Consultus Marcelus in generali sententia veram, & propriam legem intelligeret, æqualiter erat falsa illa impugnatoris propositio. *At quæ alia lex hæc esse potest ad manumissiones pertinens, nisi Fusia Caninia?* Cùm etenim Marcelus expresse loquatur de casibus, in quibus libertas, vel quia publico, vel quia privatis noceatur, lege aliqua sit impedita, vt vel exemplum ab eo appositum Legis Æliæ Sentiæ apertissimè indicat; & prohibitio Legis Juliæ de Adulterijs, qua miles, mancipium manumittere impeditur, ne quæstioni illud subducat; & casus Legis Fabiæ de Plagiarijs, qua domino etiam militi vetatur, intra decem annos servum manumittere, qui Plagium admisit, pro quo ipse dominus pœnam intulit; certatim illum convincerent. Neque, vt adversarius conclu-

cludatur plura exempla afferre neceſſe eſt, aut ego plura deſidero. Tacitus tamen præterire non poſſum difficultatem, quæ ex impugnatoris verbis ab eo relatis *numer. 36. in fine* mihi reſultat. Poſtquam dixit: *At quæ alia lex hæc eſſe poteſt ad manumiſsiones pertinens, niſi Fuſia Caninia?* Proſequitur: *Credibile eſt Marcellum legem Fuſiam expreſſiſſe; & mentionem eius ſuſtuliſſe Juſtinianum, quoniam ipſe illam abrogaverat.* Quæro. Si præter Æliam Sentiam alia Lex non erat ad manumiſſiones pertinens niſi Fuſia Caninia, cur, qui hanc abrogavit Juſtinianus; dum à Marceli loco mentionem eius ſuſtulit, in eius locum ſuffecit, *vel aliqua impeditur?* Vellem ſuppoſitum Imperatori negare; cùm dempta Caninia, nulla ſit Lex præter Æliam ſentiam, qua libertas valeat impediri.

18 Si autem ſcire velit Majanſius, quæ ſint nedum probabiles, ſed fortiſsimæ cauſæ, vt credamus Legem Fuſiam Caniniam non habuiſſe locum in teſtamento militis, vt vt habuerint plurimæ aliæ Leges, Principum Reſcripta, & Edictum Prætorium; adeat Cujacium, Olanum, & Ibañez ſupra citatos *numer. 16.* mihi enim nunc ſingulas adamuſim hìc exquirere non vacat, & id ſolum inſinuare contentus ſum; ad militum teſtamenta eas leges nunquam pertinuiſſe, quæ in id ſolum inventæ, vt liberam Lege Duodecim Tabularum vltimo elogio diſponendi conceſſam facultatem reſtringerent, *teſtantium impediebant pro ſuis ſervis clementes diſpoſitiones effectui mancipari*, vt loquitur eleganter Imperator *in dict. leg. vnic. Cod. de Leg. Fuſ. Can.* Quo circa ſpeciale privilegium, quo miles à Caninia Lege liberatus ſit, oſtendere; mihi non eſt neceſſe; nec enim aſſero, militem ſpeciali privilegio à Fuſia Lege liberatum; imo ex generalibus illis, quæ militibus præcipuè in teſtamentaria cauſa, ſunt tributa; à fortiori, propter peculiares rationes, quæ

quæ hìc versantur cum Interpretibus supra relatis, & alijs pluribus, militem infero ab eius observatione fuisse immunem.

19 Quæ omnia cùm post Otij mei lectionem fortè consideraret Majansius, tacitè voluit, serò jam licèt, consilium mutare *in fine num.* 40. per hæc verba: *An non considerat verba illa*: AT QUÆ ALIA LEX ESSE POTEST AD MANUMISSIONES PERTINENS, NISI FUSIA CANINIA? *Perinde accipi debere, ac si dixissem.* SI LEX FUSIA CANINIA HUC NON PERTINET, QUÆNAM ALIA PERTINEBIT? Certè, si hic est sensus modificatæ, seu mutatæ potiùs illius propositionis, noviter à Majansio excogitatus; interrogatio non vnam tantùm, nec difficilem responsionem admittebat, vt vel ex traditis ab eo *impugnationis suæ num.* 39. cuilibet manifestè apparebit; cùm aliæ fuerint leges ad servorum manumissionem spectantes, quæ ad militum testamenta expressè pertinuerunt, & in quibus idcircò nullus vnquam admisit controversiam; cùm tamen de Lege Fusia Caninia, quidquid Majansius opinetur, negare non possit, sub Judice litem esse, eamque doctissimorum plurium hominum, quibus accedo, sententiam fuisse, non pertinere. Neque ignoravi particulæ *nisi* etymologiam; ignoravi tamen hucusque, ridiculum esse aucupium syllabarum, ita accipere verbum *nisi*, vt excludat alios casus præter nominatos; ita enim particulam hanc, quæ sui natura exceptiva est, vidi accipere Barbosam *de Clausulis, & dictionibus, dictione* 217. & ex vtriusque juris locis comprobare, citatis pluribus *num.* 4. vbi *num.* 17. interdùm pro *præter* vsurpari, ex varijs, & clarissimis Ciceronis locis convincit.

20 Eamus jam ad *num.* 42. impugnationis Majansij, vbi, postquam antecedenti numero disputationem instituerit de his, qui in incertarum

perſonarum numerum á Conſultis relati ſunt; primam ſpeciem deſumpſit *ex leg. Sciendum* 70. *ff. de Verbor. ſignific.* jam à me explicita *in Otio Complutenſi lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 9. vnde difficile fatetur, rationem aſsignare, ob quam heredis heredi vſusfructus legari poſsit, vt aſſeritur *in leg.* 5. *ff. Quib. mod. vſuſfruct. amitt.* (de cuius interpretatione plura dixi *à dict. num.* 9. *ad* 16.) niſi doceatur, ibi heredem demonſtratum fuiſſe; facilè enim ſcire quis pôteſt, quis heredis heres ſit, varijs de cauſis, quas ibidem prolixè commemoratur, & à me breviter accepit, *vbi ſupra n.* 11. in illis verbis: *Veluti ſi poſt factum jam legatarij teſtamentum diſponens, quis in eo inſtitutus, ſciret, quia fuiſſet fortè teſtis in illo* (accipite terminis habilibus, cùm teſtibus ea patefacta, quæ in myſtico teſtamento ſunt ſcripta; nec enim doctus aliquis diverſis poterit meam propoſitionem accipere) *aut ei aliter revelatum, &c.* Hæc ideo dixit impugnator, quia otioſi hominis eſſe credidit, quam pro ſecunda difficilis textus ſolutione, diſtinctionem excogitavi inter effectivum, & reale lucrum, & mentale, (vt ita loquar) ſeu affectivum, quam latè expoſui *ibid. à num.* 12. & de cuius probabilitate vos, cùm legiſſetis, jam judicaveritis. Rationem autem non capio, ob quam, textus ſpeciem *in leg. Non ſolum* 8. §. *Si verba* 4. *ff. de Liberat. legat.* quæ ex diametro obſiſtit ei, de qua *in dict. leg.* 5. ad eam nullomodo pertinere, aut referri poſſe, tam facilè impugnator deciderit, & contra me ſententiam pronuntiaverit, in illis verbis: *Vaſquius hoc intelligere non potuit, adeoque meras nugas egit.* Nemo enim opinor, me peccaſſe autumaverit, eo quod, poſtquam validum fuiſſe aſſerui legatum, adhùc Titij heredibus tantùm relictum, ex diametro opponi ſentierim Conſultum Pomponium, qui ſcripſit, invalidum eſſe le-

legatum liberationis, debitoris tantùm heredibus relictæ; sic etiam existimavit eruditus Salmantinus Antecessor, meritissimus postea in Castellæ Senatu Consiliarius D. D. Franciscus Velazquez Zapata *in manuscriptis Academicis ad tit. ff. Quib. mod. vsusfruct. amitt. cap. 1. num.* 17. Si etenim rationes, quibus textuum (in quacunque materia) difficultas solvitur, ad assumptum eos non spectare suaderent; nulla profectò, nisi, quæ penitus fateremur indissolubilia jura valerent in oppositum adduci; hoc autem abs dubio est, quod sibi inducere voluit Majansius *in fine dict. num.* 42.

21 Nihil jam amplius mihi objicit impugnator *vsque ad num.* 45. nisi, quod speciem textus *in leg. Si cognatis* 19. *ff. de Reb. dub. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 16. *ad rem visam non esse* dixerim; quod quidem non ita asseverasse prædicat in me, si in tanto Otio consuluissem, vel Cujacij notas *in ff. libros.* Certè, cùm Cujacius *in Paratitla ad libros ff. tit. de Reb. dub.* nec mentionem nostræ legis faciat, & *in Solemnibus Recitationibus*, latè quamvis de eius specie disputet, non, vt à me est exposita, de eius quoad rem nostram difficultate disquirat; nec alibi eum viderim, aut alium sic de hac Ulpiani sententia dubitantem; quid quod ad rem visam non esse, ingenuè protulissem? Neque enim asserui textum, aut eius speciem hucusque visam non esse, sed ad rem non esse vissam. Sanè non miror, adversarium novitates meas suspectas habere, qui jam pridèm similiter de Puga dubitavit, cùm de eo *lib.6. Epistolarum, epist.* 16. talia verba dedit. *Præterea ille aliqua dixit esse nova, quæ licèt talia fatear, fuisset satiùs docuisse vetera. Certè ego, quidquid ille novum appellavit, aut memini me legisse alibi, aut semper habui suspectum.* Ubi, impugnatoris venia, si liceret, in minimis dubitarem, cur ille nova fateatur, quæ Puga nova esse dixit; si

quidquid iste novum appellavit, aut semper habuit suspectum, aut meminit, se alibi legisse? In hoc autem (vt ipse loqui amat) non sunt positæ opes Græciæ.

22 Sed jam ab impugnatore iterùm ad arma revocamur *à num.* 45. vbi de Municipijs instituit disputationem, de quibus latisʃimè nos *in Otio nostro lib.* 2. *cap.* 4. Et ea inter incertas personas olim computari, in limine affirmat, contra quam ego sentio, vt ibidem diffusè probavi. Varia *vsque ad num.* 48. & quidem generalisʃima in hac materia principia acervat, quæ à me jam fuerunt explicata *dict. loco*; & illud solum *num.* 46. mihi imputat, quod dum Ulpiani sententiam declararem *in leg.* 15. §. 1. *ff. de Dolo* ita me expedissem, *quasi diceret* (Ulpianus scilicet) *quomodo si municipes reduplicativè sumimus, & vt vniversitatem constituentes consideramus, dolum admittere posse credemus? &c.* Quæ quidem ideo dixi, quia à Philosophis accepi, rem sumi reduplicativè, nihil aliud esse, nisi accipi in conceptu talis, & cum relatione ad id, quod sub illa formalitate repræsentat: vnde municipes non reduplicativè sumi, nihil aliud esse credebam, nisi accipi, vt repræsentantes municipium, & constituentes vniversitatem. Quo sensu dùm *num.* 23. Pauli sententiam illustrarem *in leg.* 1. §. *vlt. ff. de Adquir. possess.* qui scripsit: *Municipes per se nihil possidere possunt; quia vni consentire non possunt.* Sic Consulti literam accepi: MUNICIPES PER SE NIHIL POSSIDERE POSSUNT, *vt Municipes reduplicativè considerati, & collectivè sumpti, quatenus vniversitatem repræsentant: quia ita accepti:* UNI (*id est in vnum*) CONSENTIRE NON POSSUNT, *cùm personam quandam constituant consensus, vel dissensus expertem*: quibus adieci, Paulum consultò scripsisse *per se*, in quo nulla vnquam dubitatio; per alios namque posʃidere posse; post rigidam tandem contro-

troversiam obtinuit, vt *in leg. seq.* Ulpianus affirmat. Quæ interpretatio, quidquid Majansius aliter de Paulo senserit, mihi verbis textus accomodatissima, & omnibus in hac materia principijs consona videtur, vt ex his inferre licet, quæ latiùs ibi tractavi; ni impugnator novum aliquid invenerit, quod eius veritati resistat. Illud memorari non deberem, quod *in fin. dict. num.* 46. mihi supponit, me scilicet negare, municipium personam civilem appellari posse, quod nescio vbi dixerim; imò ex his omnibus, quæ *dict. lib.* 2. *cap.* 4. disputavi, facilè agnoscetis, me civilem capacitatem haud vnquam municipio negare, sed tantùm naturalem; quia ex eius corpore non vera, & naturalis, sed ficta tantùm persona resultet.

23 Numero tamen 48. expedire se vult Majansius ab his, quæ *lib.* 1. *Disputat. disp.* 1. *num. fin.* docuerat pro ratione differentiæ inter jacentis hæreditatis, & municipij fictas personas ad diversos in eis juris effectus; quæ (ni fallor) justissimè notavi in *Otio meo lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 73. *cum duob. seqq.* cùm autem ibi nihil novi afferat, præter ea, quæ *citato loco* tradiderat; hanc diversitatis rationem, ideo me inconcinnam appellasse, subjecit; quia non intellexissem: desideravit autem, me clariùs, distinctiùsque sententiam exposuisse meam. Iterum, vt obediam impugnatori, eam proferam: quamvis clariùs an possim, distinctiùsve, dubitem. Dixit impugnator (vt brevibus clausulis omnia comprehendam) jacentem hæreditatem non posse per servum possidere, hæreditatem adire, vti frui; Municipium autem posse per actores possidere, bonorum possessionem agnoscere, hæreditatem adire, ac denique vti frui. Hæc sunt penè verba eius *dict. disputat.* 1. *num. fin.* & immediatè adjecit. *Huius differentiæ ratio hæc est. Servus hæreditarius non repræsentat hæreditatem,*

cuius ideo facta nequit supplere. Expectatur hæres, qui hæc expediet. Actores autem Municipium repræsentant, qui nisi superiora peragant, nemo alius perficiet. Idcirco, jure probante, ad eiusmodi facta eliguntur. Sic concludit *dict. num.* 22. Hìc poteram sanè ei objicere, quod ille mihi immeritò in sua impugnatione *num.* 35. cùm veris videam exemplis abuti, ad falsam doctrinam confirmandam. Quæro: Servus hæres institutus, domini repræsentatione indiget, vt adeat hæreditatem? Minimè, sed jussu tantùm, qui ad hoc solùm jure requisitus; ne invitus dominus sine facto suo hæreditarijs oneribus per servum obligetur, vulgaris text. *in leg. 6. ff. de Adquir. hæred. leg. 8. in princip. versic. sive à contrario Cod. de Bonis quæ liber.* junctis plurimis apud Gothofredum *in dict. leg. 6. à num.* 4. quod ab eiusdem juris potestate provenit, per quam, quidquid servus adquirit, domino adquirit, *leg.* 10. *cum concor-*

dantibus, ff. de Adquir.
rer. dom. ergo, quòd ser-
vus hæreditarius hæres
institutus jacentem hære-
ditatem repræsentet, vel
non, quid ad hoc, vt per
se hæreditatem adire ne-
queat; quando novi do-
mini, & hæredis jussus
ideo solùm ad additio-
nem expectatur, ne in-
vitus dominus æri alieno
obligetur, vt jam dixi-
mus? Quis autem non vi-
det quòd, si servus in hoc
casu domini ad additio-
nem repræsentatione in-
digeret, nec novi domi-
ni jussu posset hoc face-
re; cùm nec servus no-
vum dominum repræsen-
tet, nec magis novus do-
minus, & hæres jacentem
repræsentet hæreditatem:
imò, hærede semel ad-
eunte, omnis conceptus
hæreditatis tollatur, vt
mira elegantia loquitur
Florentinus *in leg. Hæres*
54. *ff. eod. de Adquir. hæ-*
redit. & quòd, si hæredi-
tatem repræsentans, eius
in hac hypothesi servus
factum suppleret, sibi
ipsi ad adeundum jussum
accommodaret, quod im-
plicat. Idem, & propter
eandem rationem in ser-
vo

vo municipij instituto dicendum, qui tunc, neque nomine, neque repræsentatione vniversitatis posset addire, quæ non erat instituta, sed tantùm proprio; neque per se vnquam vniversitatem repræsentat, vt fatetur Majansius; aut magis stricto jure, additionis actum expedire valeret non alienatus, vel manumissus, ex incapacitate domini ad consensum præstandum, *leg.* 25. §. *Servus* 1. *ff. eod.* nisi per actores Municipium repræsentantes suppleri jussum, benigniter fuisset receptum: quæ quidem omnia, vel tironibus notissima sunt principia; nec ab impugnatoris captu credo abscondita. Maneat ergo deinceps prorsùs differre, alterius nomine, & jussu alterius addire, servumque hæreditarium, aut Municipum hæredes institutos, neque jacentis hæreditatis, neque Municipij repræsentatione ad additionem indigere, sed jussu, qui hæreditario servo ab hærede post additionem præstabitur, & Municipij servo ab actoribus, sive Sindicis, qui, & Municipium repræsentant, & idcirco, eo ipso instituto, eius nomine, & repræsentatione possunt addire. Repetenda ad pleniorem dictorum intelligentiam, quæ *in Otio nostro dict. lib.* 2. *cap.* 4. latiùs disputavimus *à num.* 73.

24 Cernite nunc, amantissimi Jurisperiti, quàm immeritò impugnator calumniam addat calumnijs, & sic in me prosequatur *num.* 50. impugnationis suæ. *Patefacta jam Vasquij inscitia, & temeritate, qui, quæ non intelligit carpit &c. Superest, vt eum doceamus, Municipium, non solùm esse fictam personam, sed pro incerta etiam habitam fuisse. Comprobat hoc* (inquit) *ineluctabilis Ulpiani auctoritas* EX LIBRO REG. TIT. QUI HÆREDES INSTITUI POSSUNT 22. *Ubi posteaquam exprofessò egit de incertis personis; statim in* §. NEC MUNICIPIA 5. *hæc subjecit*: NEC MUNICIPIA, NEC MUNICIPES HÆREDES INSTITUI POSSUNT, QUO-

QUONIAM INCERTUM CORPUS EST, UT NEQUE CERNERE UNIVERSI NEQUE PRO LIBITO DE HÆREDE CERNERE POSSUNT, UT HÆREDES FIANT. Affirmo iterum, atque iterum, neque Municipia, neque reliqua vniversitatum corpora vnquam testamento capere vetita, quia incertum corpus constituant; quod ita sit penes animum, & opinionem testatoris, de cuius incerti genere in toto Otio meo exquisivi: imo, si tale quid esset, non ipsa dici possent, capere testamento prohibita, sed solùm erga illa, velut insanum improbatum judicium testatoris, vt de incertis personis verissimè prædicavi, & latè explicui *in Otio meo*, *præcipuè lib.* 1. *cap.* 1. junctis his, quæ circa hæc corpora disputavi *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 7. Et ideò tantùm assero, passiva testamenti factione caruisse; quia ex his, vtpote ex multitudine compositis, persona quædam ficta juris conceptu resultet, quæ

& consensûs, & dissen-
sûs incapax, & ad ca-
piendum ex testamento
naturaliter inhabilis con-
sideratur. Quæ quidem
generalissima ratio pro-
hibitionis in omnibus ijs
corporibus æqualiter ab
initio processit; quam-
vis propter alias, quæ
occurrerunt postea, &
quidem huic, vel illi
corpori peculiares, ali-
qua ex his justissimè à
communi regula fuerint
exempta. Superfluum es-
set, & à brevi Apologia
planè alienum, omnia
meæ sententiæ funda-
menta hìc adamussim
perquirere, quæ exactè
dict. lib. 2. *cap.* 4. expo-
sita habetis; vbi expli-
catum est plenissimè à
num. 38. difficile sanè
Ulpiani fragmentum in
dict. §. *Nec municipia*.
quod cùm brevissimo bi-
dui spatio, & legere vo-
luisset, & contradicere
impugnator, intelligere
non potuit, & ex hoc
injustè sic in me conver-
titur: *Sed vereor Vas-*
quium non satis animad-
vertisse superioris testi-
monij vim. Nam si Mu-
nicipium incertum corpus
est,

est, & hoc corpus persona est, Municipium incerta persona est. Incerta, id est non certa, non determinata, non naturalis, non vera persona. Quid igitur? Persona ficta. Vidistis, quomodo impugnator meam sententiam propugnet, &, vt doceat Municipium incertam personam esse, sic Ulpianum interpretetur, vt intelligamus *incerti* verbo id solum Consultum voluisse indicare, Municipium non esse veram personam, sed solum personam fictam? Quid ergo ego amplius desidero? *Vereor* Majansium, qui nostræ opinioni auxiliari decrevit, *non satis animadvertisse superioris testimonij vim*; si etenim ita faciliter Ulpiani difficultas solveretur, neque difficilem nodum credidissem, neque sic post alios in eius solutionem insudassem.

25 Pervenimus jam ad quæstionem illam, quam vltimo loco servavit impugnator *num.* 51. An posthumi olim computarentur inter incertas personas? Quam latè tractavimus *in Otio nostro lib. 2. cap.* 3. & quæ ideo adversario, qui celeriter (vt fecit) percurrere volebat, prolixe, & ad nauseam visa fuit exagitata. Affirmat ille cum communi Interpretum Justiniani, quos, cùm varijs titulis plurimis in Otij nostri locis distinxissem, vulgari apud plerosque nomine, differentiæ causa aliquando *Institutarios* appellavi. Nego quidèm ego, &, dum nova fundamenta impugnator non adjiciat, acerrimè, & vsque ad spiritus emissionem contradicam, & negabo, de doctissimorum virorum auctoritate, quorum aliquos retuli *dict. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 11. neque solùm auctoritate, sed, & fortissimis rationibus insistens, quas ibidem exposui *vsque ad num.* 15. & quas nec nominavit impugnator; cùm sanè videre voluissem, quomodo subtili ingenio eas destrueret, & profligaret. Refert ibidem, quæ sola sunt communis sententiæ fundamenta, alterum desumptum ex me-

thodo, & ordine procedendi Justiniani, qui post *nostrum* §. 25. immediatè subjecit *in* §. 26. Posthumo quoque alieno inutiliter antea legari; & *in* §. 27. ad eam Constitutionem se retulit, qua in vniversum vetus hoc jus de incertis personis emmendârat. Alterum ex Theophylo Græco Justiniani Paraphraste, cuius auctoritas singulari cura hìc vulgò allegata in illis verbis: *Alienus posthumus similis est incertis personis, & ideò ei inutiliter legatur*, & quæ sanè benè perspecta, veluti ex professo scripta contra communem opinionem videtur, vt ex his clarissimè liquet, quæ latè docuimus pro harum conjecturarum elusione *ibidem num.* 30. quare hìc transcribere extra rem foret. Contendo igitur, rationem decisivam veteri jure improbatæ in posthumis institutionis, & dationis similiter legati, non aliam fuisse, nisi naturalis habilitatis, & capacitatis defectum, qui in eis ad passivam testamenti factionem supponebatur.

26 Ad quod (vt ea; quæ falsò mihi ab adversario imponuntur, manifestè destruantur) brevitate possibili aliqua repetere cogor ex his, quæ latè pro verissima sententia nostra fundavi *dict. lib.* 2. *cap.* 3. *à num.* 17. Sciendum igitur est, Zenonem Citteum, sive Citti Cypri Civitate natum (vt eum ab alijs famosis eiusdem nominis Philosophis distinguamus) qui Magno Alexandro mortuo, inter varios, & quidem insignes, qui eadem tempestate nomen habuerunt, viros, florere cœpit, celeberrimam Stoycorum, sectam condidisse, multis retrò annis (vt ex contextu patet) à dominata Romanorum Republica. Quæ adeò profectò apud Consultos invaluit, vt ferè omnes, & quidem primores, eam acerrimè sint insectati, vt latissimè probatum manet *in Otio nostro dict. lib.* 2. *cap.* 3. Sic apud plerosque ex nostris Interpretibus passim, vt certissimum videmus asseveratum; quia juribus Pan-

Pandectæ abundant, quæ rem manifestè declarant. Docent Cujacius *in leg.* 1. *ff. de Just.& jur.& lib.* 19. *Quæstion. Papin. in leg.* 9. §. 1. *ff. ad Leg. Falc.* D. Joannes Ramos, antiquitatum scrutator diligentissimus, *in Triboniano suo de Pœna parricidij lib.* 7. *per totum*, *& præcipuè à pag.* 398. Carranza prolixè tractans *de Partu*, *cap.* 2. *per totum*, *præcipuè à num.* 5. D. D. Bartholomeus de Henao *lib.* 1. *Otior. Otio* 1. *num.* 39. cum alijs plurimis. Huius sectæ, cuius Princeps iuxta Eusebium obijt Olympiade 129. anno ab Urbe condita circiter 490. à petitis autem è Græcia Legibus vix 190. iuxta Dion. & Liv. qui anno circiter 300. pro duobus Consulibus Decemviros sine provocatione earum creatos ferendarum causa, asseverant; constans semper opinio fuit, fœtum, vel embrionem animal non esse, sed matris partem accidentalem reputari debere; quemadmodum arboris, vel fundi pars sunt fructus ab eo pendentes: probant innumera jura à nobis *vbi supra* allegata, præcipuè *num.* 18. junctis AA. proximè citatis.

27 Hac ergo fundamentali ratione innixi Consulti Zenonis sectatores incunctanter judicârunt, posthumum, sive suum, sive alienum incapacem esse institutionis, vel legati. Ad cuius sententiæ clariorem cognitionem quatuor tempora cum Carranza clarissimè distinximus *in Otio nostro*, *citato sæpe loco n.* 8. Primo comprehendentes jus Legis 12. Tabularum, quo, tàm sui, quàm alieni posthumi institutio, eisque relicta legata, & fideicommissa, rata habebantur, ex latissima illa testatoribus hac Lege disponendi tributa facultate. Secundo tempore illud denotantes, quo subtiles Prudentum interpretationes vigere cœperunt, quarumque causa sui pariter & alieni posthumi prohibita institutio, eisque relictum legatum improbatum ex regula textus *in leg. Quidam referunt* 14.*vers. Esse*

enim debet ff. de Jure Codicill. Tertio intelligentes, quo ex ratione à Consultis considerata, & ibidem latissimè expensa, posthumi duntaxat sui institutiones, & legata admissa *leg. Posthumus 6.ff.de Inoffic. testam. cum innumeris alijs.* Quarto demùm tempore id significantes, quo Imperator noster rem totam ad mentem, & terminos Legis 12. Tabularum reduxit, primorum eius Interpretum insuperhabitis subtilitatibus: vbi quid in successionibus ab intestato quoad hanc partem semper observatum fuerit, eiusque rationem adamusim explicavimus.

28 Ex quibus omnibus clarissimè deducetis, neque nos, neque ante nos disputantes, in illum turpissimum errorem incidisse, quem falsò nobis supponit impugnator, qui de eo tempore loquuti, quo subtiles Prudentum interpretationes potissimum vigebant, & eos hac in parte Stoycâ doctrinâ fundatos affirmantes, vt est manifestum, præcisè intelleximus, hanc sententiam invaluisse post promulgatam jam, & à multis insecutam Zenonis sectam, anteque eam, rem totam quoad hanc partem in terminis præcisè mansisse statuti juris per Legē Decemviralem. Demonstret impugnator, vel vnum tantùm juris testimonium, quo evincere voluerim sententiam meam de inutili posthumorum institutione, cuius Auctor sit Zenone antiquior Stoycæ sectæ patre, & conditore: imò hoc impossibile erat probare; cùm principia Zenònianæ sectæ conditore suo priora esse, non possent. Ut quid ergo in me illa verba toties repetita: *Sic disputabant* (meliùs dixisset; sic proprio arbitrio, & auctoritate fingo disputasse) *& disputando Jus Civile constituebant prisci illi juris Consulti, quos turpissimo errore passim Stoycos appellat Vasquius, cùm tempore veteris illius Jurisprudentiæ nondum natus fuisset Zeno sectæ Stoycæ conditor, idque OPINOR.*

CM-

OMNIBUS ET LIPPIS NOTUM, ET TONSORIBUS ESSE?

Omninò autem commentitium esse, quidquid *dict. num.* 53. secum meditatus est impugnator, pro elicienda ratione inutilis antiquo jure institutionis posthumorum; sicuti prorsus vanam, quam ibidem subjungit textus interpretationem *ad leg. penult. ff. de Legat.* 1. quicunque cum nostris eius scripta contulerit, facilè animadvertet, præcipuè, quæ tradidimus *dict. n.*8. juncto Carranza supra citato *de Partu cap.* 2. §. 1. *illat.* 13. *sect.* 3. *num.* 261. sicuti, quæ *num.* 51. philosophari voluit de posthumo, qui in lucem edatur vivus, aut mortuus, pro quorum casuum varietate jura vult distinguere (ne dicam confundere) ab ipsiusmet juris effectibus; cùm tamen prius sit, certum jus in re quacunque assignare, quod quidem in omnibus sit casibus constans; & postea de effectibus eius disputare, quorum respectu in terminis, qui ibi explicantur, loquutus fuit Julianus *in leg.* 26. *ff. de Stat. hom.* quemadmodum Paulus *in leg.* 7. *ff. eód.* & Ulpianus *in leg.* 1. §. 9. *de Ventre in possess. mitt.* vt ex his apertissimè apparet, quæ *dict. cap.* 3. docuimus, præcipuè *num.* 25. 29. & 36. Institutio enim, vel legatum, quod certa juris regula ab initio fuit inutile, non ideo amplius convalescere poterat, quòd postea posthumus vivus nasceretur; vnde eo ab initio inutiliter instituto, quia incerta persona veteribus haberetur (vt in sententia impugnatoris) non jam eo magis, qnòd vivus esset natus, hæres existere poterat ex vulgari regula textuum *in leg.* 29. & *penult. ff. de Regul. jur. cum concordantibus.*

29 Ex his apparet veritas illationis meæ *dict. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 19. in illis verbis: *Cùm ergo in sententia Jurisconsultorum nondum editus partus, nec animal, nec homo fuisset habitus, nec in rerum esse, aut hominum natura creditus, vt ex alla-*

allatis juribus constat, & contra voluntariam Antonij Fabri distinctionem scitè defendit idem Carranza vbi proximè num. 6. cum plurib. seqq. consequens fuit, vt & legatum, & hæreditatem ipsi inutiliter relinqui judicarent; cùm & hæredis institutio, & legati datio veram, in qua radicentur, & consistant, personam requirant vt subjectum, ad quod legatum, vel institutio dirigitur; nec civilis sufficiat habilitas sine naturali capacitate, leg. Debitor 82. §. *vlt. vers. Cùm enim, & versic. Ex illo, ff. de legat.* 2. quæ carpit impugnator sequentibus. *Vides hanc rationem plus æquo probare; nàm si posthumus nondum natus nullus homo esset; non modo si alienus, sed neque si suus esset institui posset: prius enim est esse, deinde aliquomodo esse.* Sed qui cursìm legerat adversarius, advertere non potuit, se à non propositis, omnino diversis, & separatis arguere: ridiculæque objectionis clarissimam solutionem constare, ex edoctis à nobis *dict. cap.* 3. *num.* 8. & 31. In illo diximus, & vsque *ad dict. num.* 31. continuavimus, secundi temporis themate sistentes, propter generalem non entis rationem, & naturalis habilitatis defectum à Consultis benè consideratum æquè sui, & alieni posthumi institutionem prohibitam, & similitèr dationem legati; & posteà *in dict. num.* 31. vt tertiam jam temporis classem exponeremus, his verbis disputationem inchoavimus: *Hæc, quæ lato calamo ad præsentem numerum sumus prosecuti (ecce jam incidimus in tertiam temporis classem) stricto jure à Prudentibus inducto procedebant, quo attento, tàm de suo, quàm de alieno posthumo verificabatur, nec hominem, nec in rerum esse natura; proïndeque passivæ testamentifactionis expertem: cùm autem, rebus sic adstantibus, non sine juris ipsius nota eveniret; rectè, ritèque factum testamentum absque disponentis culpa eversionis esse pe-*

periculo expositum; agnatione enim posthumi sui statim rumpebatur, leg. 3. *cum omnibus* §§. *ff. de Injust. rupt.* §. *posthumi de Exhæredat. liber. inducta admissaque fuit posthumi sui institutio, eius, testatoris, testamentique favorem respiciente benigna interpretatione, vt contra Fabrum, & Schifordegherum Carranza dicto* §. 1. *illat.* 13. *sect.* 1. *num.* 135. & 140. *nedum permissa, sed & ad juris necessitatem redacta; cùm exinde posthumi omnes primum in familia gradum obtinentes, ad natorum similitudinem institui deberent à parentibus, vel exhæredari; ni vltimum vel ent elogium rupturæ periculo, eorum secuta nativitate, supponere, dict. leg.* 3. *per tot. leg.* 12. *ff. de Injust. rupt. leg.* 6. *ff. de Inoffic. testam. leg. Si post testamentum* 1. *leg. Quod certatum est* 3. *Cod. de Posthum. hæred. inst. leg. Maximum vitium* 4. *Cod. de Liber. præterit.* Cur ergo dubitavit impugnator? Aut quid amplius à me desiderabat? Hoc sanè argumentum simile fuit ei, de quo *num.* 55. *impugnationis* vbi, postquam nec militi licuisse alieno posthumo legare (quòd, & ego libenter fassus sum *ibid. num.* 28.) ideo docuit; quia ne miles quidem incertæ personæ poterat relinquere, sic à me quærit. *Vasquius verò, qui hanc rationem reddere non potest; siquidem ait, posthumos alienos non pro incertis personis, sed pro nullis habitos secundum Stoicorum doctrinam.... dicat mihi quaeso, cur milites, quibus* PROPTER NIMIAM IMPERITIAM *privilegium testandi quomodo velint concessum est, princip. Inst. de Milit. test.* (memor sum, quando impugnator religiosiùs, & strictiùs de hoc eodem privilegio judicavit *num.* 37.) *vult Stoicæ sectæ adaictos, & per eam ridiculæ opinioni obnoxios, à qua Prætor liberabat quemvis paganum, qui alienum Posthumum institueret?* Ponderate amorem impugnandi, qui videritis, adversarium postquam dixerat, confiteri me *lib.* 2.

cap. 3. *num.*28. militi non licuisse alieno posthumo legare; vt facilè fumos suos vendat, de ratione, qua in sententia mea hoc fieri potuit, dubitare; illud silentio prætermittens, quod *in dict. n.* clarissimam, meisque principijs congruentissimam decisivam huius rei rationem assignaveram, illis verbis: *Cùm etenim hæc antiquorum inductio, & juris erga posthumos observantia, non in civili aliquo motivo sisteret, sed in repugnantia naturali, quam veræ ipsis defectus personæ suasit; communis juris in hac parte dispensatio, militaris (vt conjector) privilegij metas excedebat.*

30 Denique: vt vindicationem nostram absolvamus, memoremus breviter, quæ numero finali impugnationis suæ in me adversarius compilavit; ea quidem, quæ digna sunt (vel saltèm non ita indigna) vt memoria percurrantur. Inquit in primis: cum Jacobo Cujacio alijsque Jurisprudentiæ instauratoribus manum me au-

sum esse conferere; quia
nimirum (quod cuilibet
licet) in decursu Operis
aliqua, quę Cujacius mi-
nus rectè scripsit, modes-
tè, & venia tanto viro
debita, certissimis juris
rationibus impugnavi. De
hoc sanè non ita queri
debet Cujacius, vt de
censura, qua *lib. 5. Epis-*
tolarum, epist. 5. omnia
eius opera affecit impug-
nator in illis verbis: *Sed*
vel præ nimio studio fa-
tigatus, vel scribendi fa-
cilitate correptus multa
solet inconsideratè scribe-
re, suique immemor ipsius
in gravissimas labitur er-
rores. Græcis fuit nimis
addictus: adeoque Roma-
nì Juris testimonia quam-
plurima temerario ausu, vt
restitueret, depravavit. In
adversarios suos acervis-
simè invectus est. Et pau-
lo post *aliquando à*
proposito argumento lon-
gè aberrans. Deinde in
Dialectica adeo me ru-
dem, & ignarum arbitra-
tur, quia nonnunquam
nempe receptissimis eius
axiomatibus (nec, ni fal-
lor, extra rem, aut intem-
pestivè) sim vsus. *Defi-*
ciente enim conceptionis defi-
eit

rit qualitas suitatis, *agnationis*, *vel cognationis* : de quo *lib.* 2. *cap.* 3. *n.*7. *Qui ad magis potest*, *potest etiam ad minus*, de quo *ibid. num.* 45. *Propositum in mente retentum nihil operatur. Eademque est non entium*, *& non apparentium potestas*; de quibus *lib.* 1. *cap.* 3. *num. fin.* *&c.* Non equidem me latet, hæc, & his similia à Phylosophis vsitatissima, à puritate latinæ linguæ aliquantulùm deviare; scio attamen benè, eadem in libris adhuc nostris passim, & meritò approbata; quia clarissimam, & apertissimam phylosophyci conceptus expressionem continent, quod purioribus alijs terminis, & elegantioribus non est datum.

31 Amplius, & iterato vulnere non contentus, me sequentibus verbis insectatur : *Totius Phylosophiæ ita expers*, *vt ignoret*, *quo tempore Zeno Stoicorum pater vixerit*. Ego, si errorem faterer, Historiæ potiùs quam Phylosophiæ ignorationi tribuendum, dijudicàrem. Pro hac autem longè à me arcessenda calumnia, latè scripsi *supra num.* 26. *cum duobus sequentibus*. Tandem, vt vel vnam partem sine læsione non relinquat; ita me Jurisprudentiæ nostræ expertem, & studij eius ignarum habet, vt facilè supposuerit, quod in mentem mihi, nisi fœdissimo errore, venire non poterat, Q. scilicet Mucium Scævolam, qui sub libera Republica vixit, & æqualiter cum Cicerone floruit, eundem fuisse cum Q. illo Cervidio Scævola, qui, Commodo post Marcum imperante, scripsit, & magni fuit Præceptor Papiniani. Ita me sensisse refert *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 29. *&* 30. Sed qua ratione? Nempe quia, cùm de interpretatione egissem *n.* 27. difficilis loci Papiniani *in leg. Ob pecuniam* 81. *ff. de Furtis*, vbi jacenti hæreditati furtum fieri posse, videbatur Consultus affirmare, *&* *n.* 29. vulgarem Ciceronis locum retulissem, *lib.* 7. *Epistolar. epist.* 22. ex quo constat hoc jus apud anti-

tiquos Jurisprudentiæ Patres controversum, & Q. Mucium Scævolam cum alijs acerrimè negasse: postea dixi, Papinianum non facilè credendum, aliquo tempore sensissé, jacenti hæreditati furtum fieri posse, ea conjectura, quam in fine numeri sequentibus verbis declaravi. *Cùm tamen Consultus noster Scævolæ discipulus fuisset, teste Spartiano apud Cujacium in Procœmio ad libros quæstionum eiusdem, non commodè solutio difficultati adaptatur; neque enim credendum est doctissimum, prudentissimumque virum, verè juris, prudentiæque Patrem à magno Præceptore suo, cuius ingenium laudibus extollit Saturninus in leg. A testatare 109. in fine, ff. de Condit. & Dem. facilè recessisse: præcipuè vt debiliorem, tandemque improbatam opinionem sequeretur.* Sed ego, qui doctis scribebam, quorum calculo se adscribit Majansius, advertere non poteram, ipsum postquam legisset, ignoraturum, Cervidium Scævolam magni Papiniani Præceptorem, (de quo solùm Ulpianus, quem in augmentum difficultatis adduxeram, ibi *n.* 28. *in leg.* 1. §. *Scævola* 15. *ff. Si is, qui testam. lib. esse juss. er.* Cujacius ibidem à me citatus *in Procœmio ad libros quæstionum Papin.* Sicuti & Saturninus *in dict. leg. A testatore* 109.) eandem in hac parte sententiam cum primo illo Scævola Q. Mucio tenuisse, vt vel solus probat textus *in leg.* 69. *juncta leg.* 68. *&* 70. *ff. de Furtis*, & expressis verbis (si Ulpiano credimus) *dict. lex* 1. §. *Scævola* 15. Qua consideratione existimabam, Papinianum, neque vnquam sensisse jacenti hæreditati furtum fieri posse, vt vel expressè constat ex *leg. Heres* 33. *ff. de Negotijs gest. cum alijs plurimis*, neque à Cervidio Scævola Præceptore suo facilè dissensisse.

32 Illud, antequam finem imponam, in vestram mentem quin revocem non possum, quo tandem *in Epist. Dedic.* opus meum insequitur impugnator in illis verbis: *Ad hæc opus adeo* pro-

prolixum valde diminutum est. Quis hoc crederet; cùm in eo solum versetur, vt institutionum articulum exponat? Quis autem, qui evolverit Commentarium meum, adversarij impositionem non agnoscet; cùm viderit, plenè (ni fallor) & planè completum in omnibus assumptum; dùm aggressa de passiva testamenti factione incertarum personarum disputatione, quantumvis intra brevissimi §. angustias Tironibus à Justiniano proposita, prima autem, & præcipua disciplinæ nostræ argumenta complectente, vt in plerisque elementorum partibus obvenit: & quæ incertarum numero habeantur, & quę non; & quando, & qua ratione, vel permissa, vel improbata cuiusque nedum institutio, sed omnis absolutè testamentaria capio, proprijs capitibus quæsitum invenerit, & declaratum?

33 Monstravi jam DD. amantissimi, quàm injustè in omnibus à Majansio sim reprehensus, & simul, quàm exactè adimpleverit ipse, quod *in Epist. Dedic.* angustis paginis promittere non hæsitavit in illis verbis: *statui idem argumentum multò copiosiùs, quam ille* (de me loquitur) *aut quisquam alius tractare*: Quin mirer sanè ita confidenter de se præsumpsisse, qui *in Majansiana Bibliotheca* sic de se, scriptisque suis existimavit: *Postea quam sexennium Iustinianei Codicis interpres in Schola Valentina fuerat, magna frequentia auditorum, majorique fructu; posteaquam impleverat ludum Doctoribus, scriptisque per vniversam Europam inclaruerat suis: & quod est admirabilius; cùm* MAJANSIO *neque negaretur ingenium ad docendum natum, neque laboris assiduitas, & contentio, neque adversus auditores suos, & quosvis alios affabilitas, neque ei probrum objiceretur vllum, &c.* Quid plura? Erubeat ergo interim impugnator, cùm viderit manifestam, & plenissimam omnium, quæ vanè conclamavit, refutationem ab homine, *latina lingua vel leviter tin-*

tinсto. Rudi in Dialectica. Totius experti Phylosophiæ. Ac denique Jurisprudentiæ ita imperito, vt progresui juris agnoscendo operam videatur adhibuisse nullam: ego etenim id solum ipsum scire velim, me (vrgeat quæcunque causa) in eum non ampliùs calamum arrepturum; non enim dicterijs, & calumnijs, sed rationibus quomodocunque fundatis; modestè tamen, & circunspectè obiectis, modestè etiam (vti facio) satisfacere consuevi. Valete vos, Viri doctissimi, atque sapientissimi, & quando justitia causæ moram in vindicatione admittebat nullam, celeritas scribendi vestram det benigniter veniam adipisci.

